DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE VSV MEDICO CAMPHORAE.

§. 1.

De origine Camphoræ, modo eam colligendi, & ex variis vegetabilibus extrahendi, non ero nunc ſolicitus; eo quod ex ſcriptoribus rerum exoticarum de iis abunde conſtat. De uſu eius medico tantum quædam conſcribere decrevi.

§. 2.

Vſus camphoræ medicus requirit notitiam virium, quibus pollet, corpori humano ingeſta, aut externe applicata, ſive qua ratione corpus ægrotum in ſanum mutet, aut abuſu nocumenta inferat. Nil enim prodeſt, quod non lædere poſſit idem. Has autem vires tum a priori, tum a poſteriori, ſi non ex integro, ſaltem maxima ex parte, exploratas perſpectasque habemus.

§. 3.

A priori, magnis viribus camphoram pollere, concludere licet ex tenuitate partium, quibus constat, effluviis copiosissimis, calore atmosphæræ & intestino aëris motu sui iuris factis, continue sese prodentium. Quo magis calor externus ad naturalem corporis humani sani accedit, eo copiosius secedunt effluvia e camphora, cum sensibili molis & ponderis diminutione: quod ne continue cum detrimento notabili fiat, vasis vitreis arcte clausis, aut vesica oleo inuncta, aut semine lini custodiri solet.

§. 4.

Camphora sub quacunque caloris & frigoris temperie in atmosphæra telluris odorem suum fragrantem mox longe lateque dispergit. Quod indicio est, resolvi illam cito in minutissima effluvia. Contingit vero hoc magis in illo aëre, qui calidior est; seu calor exhalationem magis adiuvat. Quare etiam eo modice aucto camphora mox integra avolat, aut in summitatem vasis, quo retinetur, rapitur. Cum ergo in humano corpore vivo & vtcunque sano caloris gradus, etiam ubi minimus est, semper adhuc admodum notabilis sit, & longe maior, quam in quocunque aëre, in quo illud vivum subsistere potest, in multis vero multum supra eum intensus deprehendatur: patet, camphoram, humano corpori ingestam cito, in calidioribus autem citissime in effluvia copiosissima resolvi, maxime accedente motu & humoribus saponaceis, ut succo gastrico, enterico,

co, bile. Effluvia hæc tenuisſima & nervis amica cum ſint, a venis primarum viarum reſorpta, citisſime lege circulationis ſanguinis ad venam portæ, inde per hepar ad cavam, cor, inde per univerſum corpus diffunditur; & mobilitate ſua inſignes mutationes efficit.

§. 5.

Odor camphoræ quidem gravis eſt, at mordacis acrimoniæ, nervos valde vellicantis, expers; vel oculo indice, qui, cum fumo ligni accenſi, effluviis ſeminis ſinapis, aut radicis raphani contuſæ in lacrymas cieatur, effluvia camphora non ſentit. Vt ut fragrans ſit, ſentientisſimum tamen olfactus organon, & nervi primi paris peroſſa ſpongioſa, cava narium, ſinus frontales, maxillares, ſphoenoidales diſtributi, fere nudi iacent, (*) tenui modo muco obducti, in motus ſternutatorios ab illa non concitantur. Linguæ quidem acrimoniæ ſenſum quendam imprimit, at fugacis nec comparandæ ei, qui ex acrioribus aromaticis, ut pipere, gummi amoniaco, ſagapeno, aliis oritur. Vix maiorem acrimoniæ notam exhibet, quam terebinthina, balſamum copaivæ, peruvianum, præſtantisſima illa balſama nativa, nervis amicisſima.

§. 6.

Eligenda autem eſt pro uſu medico camphora admodum fragrans, ſaporis amari, penetrantis, can-

(*) Secundum BOERHAVIUM in Inſtitutionibus medicis §. 495. Sed nervos hos in ea cava diſperſos quinti paris ramos eſſe, nec olfactui inſervire, oſtendit PRAESES Diſſ. de Senſibus præcipue externis 1733. habita. cap. V.

dida, pellucida, quodammodo obſequioſa, tenax, pinguis, ſub piſtillo in pulverem non fatiſcens, niſi addito pauxillo olei preſſi, ut amygdalarum, in cochleari ſuper prunam tota exhalans, accenſa etiam in aqua flammam alens; in alcohole perfecte ſolubilis: ita, ut omni nota reſinam (*) puriſſimam exhibeat. Qualis ex India orientali, ex Japonia, Summatra ad nos delata & apud Amſtelodamenſes rafinata, ſeu depurata habetur. Dictis vero characteribus, præſertim vero ſumma volatilitate, quæ in omnibus eius partibus æque obſervatur, ab aliis reſinis & concretis bituminoſis, quæ ad eius puritatem non accedunt, facile diſçernitur.

§. 7.

An calida, aut frigida dicenda ſit Camphora, inter Medicos diſputatur. Dicuntur autem ab iis corpora, adeoque etiam medicamenta calida, vel potentia, vel actu. Et quæ potentia calida ſunt, vel in genere ita conſiderantur, reſpectu ad naturam ipſorum & quævis alia corpora, quibus applicari queunt, habito; vel ſpeciatim ad humanum maxime corpus relata. Vtraque ratione Camphora ſine ducen-

(*) Ad reſinas camphora olim relata fuit, quo referri debere, recentiorum aliqui negant. Res eo redit, ut definiatur, quid reſinæ nomine appellare placeat. Plurimi reſinam vocant corpus vegetabile ſolidum, in igne fluens & ardens, in aqua inſolubile. Talis quoque notas cum camphora habeat, reſina iure vocatur. Si aquam, ſpiritum & oleum in deſtillatione ſeorſim non exhibet, a reſinis excludi propterea vero debet: cum & aliæ reſinæ his illisve notis ſingularibus queant diſtingui.

bio ad calida referri meretur. Conſtat enim oleo tenuiſſimo, & ut tale flammæ admota mox incenditur, eaque integra fere conſumitur: quæ generalis, ſed certa caloris inſiti nota eſt. Calidum ratione corporis humani medici vocant, quod motum circulatorium augendo calorem producit: quemadmodum frigidum, quod motum iſtum auctum minuendo calorem temperat. Stimulat camphora nervos, blande quamvis. Auget ergo motus oſcillatorios in vaſis, præſertim in arteriis, & hinc ſanguinis motum progreſſivum, cumque eo calorem. Auget præterea ſulphuris portionem in ſanguine, quo ipſo quoque calor in corpore augetur. Sed idem poſt intus ſumptam camphoram re vera contingere, ipſa perceptione & ex pulſu cognoſcere licet. Variat tamen hæc res pro conditione aſſumentium: in aliis calorem auget, in aliis præter naturam auctum minuit; ut ſi corpus a cauſa morbi calet, quales ſunt obſtructiones inflammatoriæ, eaque cauſa penetrantibus camphoræ effluviis reſolvi poteſt, calorem inflammatorium minuit, cauſam illam tollendo. Itaque camphora quodammodo refrigerare interdum dici poteſt; quod per accidens facere in ſcholis medicis dicunt. Si e contrario materia obſtruens, ut ſanguis congeſtus, impactus, arteriis minimis pertinacius inhæreat, tum nervos ſtimulando eorum actionem vitalem auget, morbumque graviorem reddit, calori augmentum conciliando.

§. 8.

Eiusmodi obſtructiones difficilioris reſolutionis noſcimus ex cauſis antecedentibus, ætate quippe iuvenili, & media, corpore robuſto, exercitato, aëre calido, defectu potus, iactura fluidiſſimarum partium, exercitiis validioribus diſſipatarum, nec reſtauratarum. Hæ enim cauſæ pertinaciſſimas obſtructiones producere ſolent, dum ſanguinem rubrum compactum in vaſa ſeroſa, ſerum ſpiſſius in lymphatica vi validiſſima agunt, utrumque raro perfecta criſi reſolvendum, niſi optima methodus a principio adhibeatur. In his ergo obſtructionibus camphoram liberaliori præſertim doſi exhibere, foret flammam oleo velle extinguere.

§. 9.

Exiſtimo tamen, camphoram in morbis inflammatoriis ſecure & cum ſpe ſalutis exhiberi poſſe & debere, inſtituta prius larga ſanguinis miſſione: ut impetus vitalis, qui alias ſuppurationem, gangrænam, vel ſphacelum producit, minuatur; & plethora ſpuria, vaſa ſanguivera nimium diſtendens, ſublata, camphoræ ad interiora ingreſſum, eiusque activitati libertatem concedat. Cautela hac obſervata, camphora profecto inſigne medicamentum erit, pluribus aliis præferendum; quod multis experientiis edoctus aſſerere, non dubito. Vbi vero ſigna reſolutionis adſunt, licet mox in principio, nec ſanguinis miſſio inſtituenda, nec camphora exhibenda, ſed morbus naturæ curatrici eſt committendus; niſi quod blandis humectantibus materia, quo vergit, ducenda eſt.

§. 10.

§. 10.

Quod ad modum camphoram in recenſitis morbis exhibendi attinet, granum unum, duo, aut tria cum ſcrupulo nitri, ter quaterve de die exhibeantur; interpoſito largo alicuius ptiſanæ uſu, aut decocti antiphlogiſtici.

§. 11.

Ratione ſingularis & indomabilis fragrantiæ camphora convenit cum ambra gryſea, moſcho, zibetho. Exigua enim quantitate aliis odoriferis commixta ſpecificum eorum odorem confundit, ſuumque vel e longinquo prodit. Ab ea autem odoretenus applicata venerem in viris minui, in mulieribus augeri, fabula videtur, ſiquidem collectores, & depuratores eius tandem plane impotentes fieri, neceſſe foret: quin contrarium potius ſtatuendum eſſe, experientia docere videtur. Hoc autem porro conſtat, effluvia ab iis inſpirata, deglutitave affectiones hypochondriacas, hyſtericas domare; quod fieri arbitror, dum ſyſtema nervoſum in novos motus concitant, cauſamque eorum malorum ſolvunt. Facultatem olfaciendi a camphora imminui, infra exemplo patebit.

§. 12.

Exoptatos ergo ſucceſſus medicus ſperare poteſt in ſexu ſequiori in ſpasmodicis uteri affectionibus, & in rheumatismo, morbisque articularibus in ſexu utroque. Commodiſſime tunc exhibetur forma pilulari cum aliis ad ſcopum facientibus piſtillo ſubacta, v. g. G Galb. Opopon. Sagapen. Balſ. Peruv. Oleo ſuccin. Laud. op. &c.

§. 13

§. 13.

Quod de aliis medicamentis, id de camphora quoque eſt verum, omnes indiſcriminatim eam non ferre. Conſtat obſervationibus, uſu camphoræ paſſiones hyſtericas exaſperatas fuiſſe. Sed nec omnes Rheum, Sennam, imo Glyzirrhizam ferunt. Quid de alimentis dicam? cum alius caſeum, alius butyrum, alius lac averſetur. Inde vero ut alimentorum, ita etiam medicamentorum laudi nil detrahitur.

§. 14.

Graveolentiam Camphoræ variis menſtruis tollere, aut imminuere, tentarunt medici practici. Quodammodo quidem ea minui & mutari poteſt, neutiquam ex integro tolli, ſalva Camphoræ natura.

§. 15.

Quanquam igitur cum oleis ſtillatiis variis, quorum quodque ſingulari ſuo Spiritu rectore odorifero præditum eſt, aliquoties cohobata camphora odorem proprium tenaciſſime retinet: quo magis interim iis unitur, eo magis odor cum iis confunditur, efficaciusque ita remedium, ad obſtructiones frigidas ſolvendas, evadit, tam interne, quam externe adhibendum. Lætatus videndo ſperatos effectus, ſucceſſus optimos, præcipua, quæ ad compoſitionem adhibui, erant oleum cinnamomi, caryophillorum, lavendulæ, rorismarini, tanaceti, ſalviæ, cha-

chamaemeli. Hoc vero uti vix genuinum ab aliis acquiritur, ita de bonitate ut certus sis, tædiosam patientiam destillando exerce. Idem de aliis consilium esto. Camphora cum dictis oleis, aut balsamis nativis, leni caloris gradu, vasis optime clausis, digesta & cohobata quam præstantes vires medicatas acquirat, potius experiundo, quam nostra commendatione edisces: Cum oleo terebinthinæ æthereo dicta ratione unita morbos articulares sæpe radicitus curat.

§. 16.

Sed redeamus ad vires camphoræ proprias. Inter quas præcipue commendari meretur anodyna, multo in camphora præstantior, quam in Opio: cum præsertim, non, vt hoc, sensus obtundat, nervis stuporem inducat, & lethali, si nimia dosi, vel intempestive sumatur, somno ægros sepeliat; sed causas irritantes corrigendo, alias solvendo, vel difflando, dolores aliaque gravia symptomata tollat. Quare in pervigilio, deliriis, tum incipientibus, tum confirmatis, camphoram mirabiles effectus præstare, Practicorum experientia confirmat; & in ophthalmia dolentissima laudem meretur.

§. 17.

An in convulsionibus ipsaque epilepsia tuto & cum fructu adhiberi potest camphora? Puto, quod sic. Habent enim in iis eædem sæpe causæ locum, quas tolli ab ea modo dixi. (§. 16.) Neque errat prorsus Quercetanus, quando sulphur mitigativum in

camphora agnoſcit. Allegatur enim hoc fere in rebus graveolentibus; docentque obſervationes, eorundem proficuum uſum eſſe in compeſcendo ſpirituum turbato & vehementi motu. Quare, cum & camphora graveolentia quadam polleat, & ſubtilitate ſua nervos ipſumque cerebrum facillime afficiat, patet, ex hac etiam ratione in iis morbis eam utilem eſſe poſſe. Caute vero, parce, & non niſi cum aliis medicamentis adhibendam tunc eſſe, ratio ſuadet.

§. 18.

Inter cardiaca remedia præcipuum quendam camphora locum iure, & non ex una ratione, meretur. Agunt autem illa admodum diverſo modo, & hinc diverſisſimis ſub claſſibus comprehendi queunt. Provocabo nunc tantum ad duas camphoræ qualitates, quæ in ea inſignes vim cardiacam facile produnt, ſcilicet ſtimulantem valide, neque tamen nimium, tum roborantem, quam præcipue a ſubtiliſſima terra, quæ illam ſolidum corpus reddit, habet; quibus non immerito tertia addi poteſt, reſolvens, de qua iam ſæpe dixi, quæque interdum plurimum confert, ut cor ad motus ſuos recte peragendos revocetur. Licet vero vim eam cardiacam obſervare in lipothymiis, cordis palpitatione, aliisque caſibus ſubitaneis, vel a ſolo camphoræ externo uſu, aut applicato ſpiritu vini camphorato, præſertim cum croci eſſentia, tanto ſæpe cum emolumento, ut vix aliud remedium ſit, quod tam promptos & mirabiles effectus prodat.

§. 19.

§. 19.

Quanta camphoræ vis ſit, putredini putridisque exhalationibus compeſcendis, experientia cognoſcere licet, ad quam in hac re tantum nunc provoco. Conſtat autem, conſervari ab illa carnes mortuas, inſectorum & alia cadavera, ſphacelationem partis in vivis arceri, aëremque putridum corrigi. Ex his, uti videtur, cauſis factum eſt, quod camphora, uti præcipuum quoddam alexiterium, in morbis malignis peſtilentialibusque a multo iam tempore in uſum trahi cœpit. Neque fefellit is Medicorum ſpem, niſi fidem celeberrimi nominis multis Practicis derogare velimus. Prodeſſe vero etiam in hiſce morbis videtur ſubtili terra & vi ſua ſtimulante, qua utraque debiles & languidas in iis partes vitales partim roborat, partim excitat; tum etiam ſudorifera, qua noxias, necdum correctas particulas malignas per cutim expellit. Videtur vero eadem aliis remediis, quæ ſimiles vires habent, ob has cauſas præferenda eſſe, quod & ſubito corpus ſubtilitate ſua penetrat, moderate agit, calorem non adeo fortem excitat, & ſubito ipſa omnis e corpore expellitur.

§. 20.

Suadere ſimiles modo adductis (§. 19.) rationes uſum eius quoque poſſunt in alui fluxibus dyſenterici, rubris, albis & mixtis, viresque præterea anodynæ, roborantes, ſiccantes & glutinantes. Docent vero etiam vires hæ omnes, in vario illorum mor-

borum ſtatu & vario tempore prodeſſe. Sed poſtulat hic camphoræ uſus, ut multorum aliorum medicamentorum, præſertim excellentiorum, curatam cauſarum & reliqui ſtatus in ægro examen. Tantum abeſt, ut ſpecifici dyſenterici inſtar, quale nullum dari puto, commendare camphoram velim.

§. 21.

Neque una ſe modo ratio offert, quare inter medicamenta anthelmintica notabilem quendam locum camphoræ aſſignandum arbitrer. Referri huc poteſt ut acre & reſinoſum, ſimulque ut fragrantiſſimum; qualibus vermes oppugnari communiter ſolent. Nec a vero abhorrens eſt, ſubtiliſſima & copioſiſſima camphoræ effluvia vermium vitæ infeſta eſſe. Reſiſtit præterea putredini, quæ illorum generationi adeo favet, & quæ, ex iisdem mortuis enata, tam diros frequenter in humanis corporibus effectus producit. Tandem vero ſtimulo ſuo motum periſtalticum augendo illos, præſertim enectos, per alvum exturbat.

§. 22.

In proclivi nunc foret, uſum camphoræ eximium in multis aliis morbis oſtendere. Sed conſtitutum mihi non fuit, de omnibus eius viribus agere, ſed brevi hoc ſpecimine præcipuas tantum quasdam publicæ diſquiſitioni Academicæ exhibere. Ne tamen in his etiam videar auctoritate præſtantiſſimorum pra-

practicorum destitutus, nimis elate de Camphora sentire, lubet nunc vel ad unici Etmulleri testimonium provocare, quod ita se habet: *Verum est, eam esse singulare concretum, præstantissimum, ut sibi simile in tribus naturæ regnis, fossili, vegetabili, & animali, non reperiatur. Odoretenus totum penetrat corpus; sudoriferum præstantissimum in morbis malignis & pestilentialibus tam præservative, quam curative, in effectu non habet simile.* Cui addi potest Friderici Hofmanni Dissertatio de usu camphoræ interno; quem dum multiplicem recenset, eo ipso laudes eius egregias satis asserit.

§. 23.

Vtut vero tot tantisque viribus contra morbos Camphora instructa sit, cavendum tamen nihilominus est a nimis longo & protracto eius usus: id quod de excellentissimis quibusque medicamentis quoque statuendum est. Non illum usum fert præsertim sensibile genus neruosum, & in quo omnis agilitatis in humano corpore principium est; sed hebetatur inde, turbatur, & muneris tandem sui impos reddi potest. Exemplo alicui sunt rafinatores, ut vocantur, seu depuratores camphoræ, in quibus olfaciendi facultas paulatim imminui & sæpe prorsus perire solet. Quod idem in Pharmacopœo quodam, circa camphoram nimis occupato, observavit Thomas Bartholinus, Cent. IV. Hist. 91.

§. 24.

Cum ſiccæ & calidæ naturæ ſit camphora, calorem tamen moderatum, nec diuturnum, in humano corpore excitet: intelligitur inde, magis uſum eius conuenire hominibus phlegmaticis & frigidis, aut mediæ naturæ, quam ſiccis, calidis & cholericis; his ſaltim poſterioribus omnibus, ſi res eam exigat, minus diu, minorique quantitate eſſe exhibendam. Alioquin enim, niſi alia incommoda producat, liquidiſſima humorum ſaltim difflando, corpus nimium exſiccare poteſt: vnde omnia ſiccitatis mala metuenda ſunt. An verum in primis ſit, quod Arabes medici dixerunt, renum & veſicæ calculum a multo eius uſus produci, & canitiem accelerari, ulterioribus & curatis obſervationibus relinquendum eſt. Poſterius quoque affirmat Guintherius, (*) an ſua, vel aliorum fide, dicere nequeo.

§. 25.

De iis, quæ in officinis pharmaceuticis & chymicis e camphora parantur, pauca addenda habeo: cum pleraque de iis notanda ſatis nota ſint. Præcipuam adhuc attentionem Medicorum meruit *Oleum*, quod variis modis e camphora prolicere tentarunt Chymici. Nil vero aliud labore ſuo conſecuti ſunt, quam partem eius, vel omnem camphoram adhibitam, e ſicco corpore in fluidum, aut liquamen reſolutam

(*) de Medicina veteri & nova faciunda Commentar. II. Dialog. V. pag. 181.

tam: ſub qua forma prius etiam per arborum, vnde colligitur, canales promotam eam eſſe, dubitari non debet; uti etiam conſtat, ex radice recenti camphoræ, & caſſiæ canelliferæ, & ex ſchoenanto Perſico, vel Arabico, camphoram olei forma obtineri posſe. (*) Quare etiam omne id, quod ſub olei nomine produci adhuc e camphora potuit, vel affuſa aqua, vel alia facili ratione in priſtinam formam eius reducere licet; cuius nec interim naturam amiſerat, etſi hæc ab additis aliis plus minusve deformata eſſet. Vt tamen omnia ignota & arcana in medicina pro magnifico ſunt: ita Noribergæ aliquando, peſtis tempore, talis olei ſemunciam pro triginta florenis quidam vendidit; uti refert Hartmannus, qui eius deſcriptionem eadem liberalitate, qua ipſi communicata erat, deinceps prodidit, viresque in variis morbis multis elogiis deprædicat. (**) Non tamen apparet, quæ in hoc, vel alio camphoræ ſic dicto oleo præ ſicca camphora, vis ſingularis latere queat. Quod cum ſpiritu nitri diſſolutione obtinetur olei genus, illius, dum eam formam, portionem quoque aliquam retinet, & proinde uſibus tantum externis adhibetur.

§. 26.

Iulapium hyſtericum camphoratum Batei hic allego, ut moneam, nil aliud ſub hoc nomine latere,

(*) Vid. Kæmpffer Amœnit. Exotic. Faſcic. V. Claſſ. I.
(**) In Praxi Chymiatrica, quæ extat in Operibus eius, p. 110.

quam aquam, particulis camphoræ, aliquoties accensæ & in illa extinctæ, imprægnatam. Vires eius titulo ipso designatæ sunt; quamvis illæ sine igne adhibito aquæ communicari, & usus eius latius extendi queant. *Spiritus vini camphoratus simplex* & *crocatus* cum usu suo notior est, quam ut iis, quæ supra de eo dixi, addere quippiam, necesse sit. Omitto etiam alia passim a scriptoribus memorata medicamenta, quæ e camphora parantur: cum præsertim eorum elaboratio nullum singulare artificium ostendat, & facile cuique sit, materiæ medicæ, virium, quas medicamenta habent, & artis pharmaceuticæ mediocriter gnaro, innumera alia, ad illorum exempla, e camphora sistere.

§. 27.

Est tamen pro veriori compositione & elaboratione medicamentorum e camphora, & pro intellecta virium, quæ illis recte tribui queant, dispiciendum adhuc, quid camphoræ in humano corpore, & ab aliis admixtis mutationis accidere, vel illa quomodo hæc ipsa mutare possit. Sunt illæ vero mutationes in aliis medicamentis sæpe admodum insignes, & in eorum compositione cum aliis curate prævidendæ. Camphoræ naturam a nullis aliis admixtis, nec a fortissimis quidem acidis mineralibus destrui, adhuc compertum est. Servata tamen illa, reliqua addita suas quoque vires exerere, camphoræque vires varie dirigere, eo minus dubitari debet, quod idem de omnibus

bus medicamentis, quæ mixtionem, vel compoſitionem aliquam ingrediuntur, verum ſit. Quo minus debiliores humani corporis ſucci & aliæ vires quicquam in illam valere videntur, niſi quod in ſubtiliſſima effluvia ab iis reſolvatur. Et docent obſervationes, eos, qui camphoram largius aſſumſerunt, camphoræ odorem aliquamdiu tranſpirare, & cum urina emittere. Sed cum aliis obſervationibus conſtet, debiliores interdum vires plus momenti habere ad mutandam corporum aliorum naturam, plura vlterioribus experimentis & obſervationibus relinquenda ſunt.

FINIS.

§. 5. lin. 7. poſt vocem: paris, addatur: qui